ORATIO
IO. BAPTISTAE MILLINI
ROMANI,
Conſiſtorialis Aulæ Aduocati
CORAM SANCTISS. D. N.
GREGORIO XV.
In publico Conſiſtorio ſupplicantis
PRO BEATA
TERESIA A' IESV
Carmelitarum Diſcalceatorum
Fundatrice
IN SANCTARVM NVMERVM
REFERENDA
Habita
Die I. Februarij Anno Domini
M. DC. XXII.

ROMAE, Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. M.DC.XXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſsimo P. M. Sacri Palatij Apoſtolici.

P. Epiſcopus de Curte Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Gregorius Donatus Rom. Magiſter, & Soc. Reuerendiſs. P. F. Hyacinthi Petronij Rom. ſacri Palatij Apoſtolici Magiſtri, Ord. Præd.

Digitized by Google

ORATIO.

SI rei, quam tractaturus ſum, dignitas & amplitudo verbis explenda, & orationis meæ finibus concludenda eſt, fruſtra impoſitam mihi prouinciã ſuſceperim, fruſtra animi corporiſque vires intenderim, Beatiſſime Pater. Ea enim Tereſiæ Virginis claritudo, ea ſanctimoniæ præſtantia eſt, quæ non oratorum facundiam, quippe dicendis eius virtutibus imparem, ſed tacita plenam reuerentia poſtulet admirationem.

Faciam itaque quod ſolent qui terrarum ſitus pingunt: in breui quaſi tabella totam eius imaginẽ amplectar, id veriſſime præfatus, quantum breuis pictura à terrarum orbis magnitudine diſtat, tantum ingenij mei vires à Tereſiæ virtutibus diſtare.

Interea verò dum ego iniunctum onus exequor, & nomine Philippi Quarti Hiſpaniarum Regis Potentiſſimi, Sanctorum numero, à Sanctitate Veſtra clarum hoc ſeculi ſui lumen adſcribi poſtulo, eiuſque vitam ac miracula breuiter perſtringo; quæſo obteſtorque Sanctitatem Veſtram, vt faciles dicenti aures præſtare non grauetur.

Progenita eſt Tereſia in Illuſtriſſimi Regni Caſtellæ Ciuitate, cui Abulæ nomen eſt, anno poſt Chriſtum natum quintodecimo ſupra milleſimum & quingenteſimum, Nobilibus parentibus, qui non religione minus, quàm generis ſplendore conſpicui, pari eam pietate ab infantia inſtituerunt. Effulſere in tenella Virguncula orationis feruor, probitas æuo maturior, receſſuum & contemplationis amor ſingularis. Septem annos nata, ſanctorum martyrum res geſtas aſſiduè perlegens, martyrij & ipſa inflammata deſiderio, paruulo fratre in comitem aſſumpto, vrbem egreſſa eſt, Africam, vt à Mauris pro Chriſti fide iugularetur, petitura. Sed interim dum properaret ad mortem, Diuinitus reſeruabatur ad vitam, ſerius quidem, ſed cumulatius coronanda; fit obuiam patruus feſtinanti, ex itinere retrahit, parentibus gemebundis

dis reſtituit: Illa deinceps præpeditum martyrij votum ieiunijs, lachrymis, afflictatione carnis dum viueret, numquam depoſuit, ſemper impleuit.

Vigeſimum annum agens, quò certius mundi laqueos, & inſidias euitaret, monaſticam vitam cogitans, ad Cœnobium Beatiſſimæ Virginis de monte Carmelo, Ordinis, quem Mitigatum vocant, ſe contulit, ibique religioſum vitæ inſtitutum profeſſa eſt. Cæterum viſa eſt in agonem concertatura deſcendere: nam, quia, modicum erat generoſæ Virgini regularis obſeruantiæ penſum, inſtaurabantur illi morborum certamina: vt quæ tenerum ſemel corpuſculum Africano carnifici obiectura proceſſerat, iam adultum aſſiduis incommodæ valetudinis cruciatibus porrigeret diuexandum.

Alia adhuc ratione diſquirenda erat Tereſiæ conſtantia. Inſiſtebat illa cum cæteris religioſi inſtituti exercitijs, tum multo maximè orationi: ac nihilominus tanta ſpiritus, vt ſic dicam, ariditate vexata eſt, vt integro duodeuiginti annorum ſpacio, nullo cœleſtis rore ſolatij ſit reſperſa. Verum ſuauitatis ac dulcedinis largitor Dominus perſeuerantem & indefeſſum Ancillæ ſuæ ſpectauit affectum; & ſupernæ conſola-

Digitized by Google

tionis affluentiam quò diutius diſtulit, eò cumulatius impertiuit; tanta enim poſtea contemplationum ſublimitate excelluit, tanta cœleſtium viſionum voluptate perfuſa eſt; vt puriſſimis illis mentibus proximior, quàm humanitati videretur.

His, & alijs prærogatiuis aucta primæuam Carmeli diſciplinam, afflante Deo, æmulari, mox reſtituere aggreſſa eſt. Plurima eius inſtituti mulierum, virorumque Cœnobia (rem à ſæculis in fæmina inauditam) generoſo auſu excitauit: ſi quidem ſeptemdecim monaſteria monialium erexit, ac gubernauit, virorum verò quindecim fundata reliquit, miraque prudentia direxit, omniaque ſanctitatis exemplo conſtabiliuit. Quæ itinerum incōmoda, quos labores, quas pugnas eo in opere peragendo perpeſſa non eſt? humanis plerumque deſtituta præſidijs, ægrota, pauper, ſola, Deoque dumtaxat freta reclamantes locorum, Præſides, Proceres Præſuleſque imperturbata ſuſtinuit. Dulcia ſanè incōmoda, dulces labores pro amantiſſimi ſponſi nomine indefeſſe à Tereſia exanthlatos: quippe quæ tam fuit patiendi auida, vt ſæpiſſime in hæc verba prorumperet, *Domine aut pati, aut mori*.

Quid ſingularem in Deum charitatem eloquar?

quar? quæ tam ſuit eximia, vt votum ad eam diem inauditum prima emiſerit: Semper ſe, quod perfectius, & diuino cultui conuenientius eſſe intelligeret, effecturam. O amorem inauditum, ò nobile generoſiſſimæ Virginis, & ſæculis prædicandam omnibus magnanimitatem. O ſponſam verè dignam, cui Chriſtus porrecto clauo tanquam arrha diuina quandoque dixerit: *Tu Tereſia deinceps vt vera mea ſponſa anxiè de honore meo ſollicita eris; iam ipſe totus tuus ſum; tu tota es mea*. Neque verò ſemel tantum vel iterum ei ſe Chriſtus Dominus vidēdum præbuit; ſed creberrimis familiariſſimiſque apparitionibus ſponſam ſuam dignatus eſt: vt quæ ardentiſſimo ſponſi amore flagraret, eius quoque præſentia velut gratiſſimorum irrigatione fontium recrearetur, imò vt amoris ardor validius augeretur in Virgine, & vbertas gratiæ affluentius conferretur à Creatore.

Prætermitto frequentem Tereſiæ extaſim. Seraphinum ſibi cernere viſa eſt præcordia ignito amoris iaculo traijcientem: quin etiam ipſamet poſt mortem reuelauit diuino amoris impetu vita exceſſiſſe.

Quid inſignem proximi dilectionem conſectetr? quam egregiè demonſtrant animarum

anhelata ſalus;tot extructa laboribus cœnobia; effuſæ pro perſecutoribus preces,quos adeo dilexit,vt vulgo iactaretur: Quiſquis diligi à Tereſia vellet, aut detrimentũ vltro cõferret, aut iniuriã.

Sileo fidei, ac ſpei magnitudinem, caſtiſſimæ Virginitatis excellentiam, quam præclariſſimi huius Virginis Confeſſarij nulli vel minimæ impuri hoſtis ſuggeſtioni ſe eſſe obnoxiam teſtati ſunt. Paupertatis, & obedientiæ præſtantiam, cœleſtis ſapientiæ ſublimitatem, quam egregie docent libri quatuor ab ea conſcripti, qui in varias linguas ex Hiſpano idiomate verſi, toto Chriſtiano orbe celeberrimi non ſine magna legentium admiratione,& vtilitate,circumferuntur. Sileo cæterarum virtutum egregia decora: dies enim me deficiat, ſi ſingula proſequar, deficiat inquam,ſi vel ſummatim attingã.

Tot ac tantis exornata virtutibus, tot perfuncta laboribus Tereſia anno ſalutis humanæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo, quarto nonas Octobris, ſuſceptis incredibili cordis affectu ac demiſſione Sacramentis, ſuiſque alumnis ſalubriter cõmonefactis, amatorijs votis, & collocutionibus in Deum exæſtuans, puriſſimam animam ſponſo tradidit Creatori.

Nunc ad miracula, quibus multis & magnis, in vi-

Digitized by Google

in vita, in morte, ac poſt obitum Tereſia refulſit, mea ſe conuertat oratio: quæ cùm ſingula recenſere longum ſit, temporiſque anguſtijs intercludar, pauca tantumodo delibanda exiſtimaui.

Illud primum ſe offert, quod apud Villam Nouam de la Xara Conchenſis Diœceſis patratum eſt: vbi cùm ingens annonæ caritas miſerè populum opprimeret, ac in Tereſiæ monaſterio vix tantum farinæ ſupereſſet, vt monialibus per menſem alendis ſatis eſſe poſſet; illius precibus ſic adducta eſt, vt integro ſterilitatis tempore, hoc eſt ſex menſium, abunde ſuppeteret.

Monialis quædam nomine Alberta apud Medinam del campo, febri ac pleuritide penè ad interitum laborabat: quam Tereſia eò aduenięs complexa. *Et tu,* inquit, *in meo aduentu ægra decumbis?* quæ cùm dixiſſet, illa protinus ſanata ſurrexit.

Anna à Trinitate, monialis in eodem Conuętu, eryſipilate in facie, grauique inſuper febri laborabat. Acceſſit ad ægrotam Tereſia, manuque faciem eius attrectans, *Ne timeas*, inquit, *filia, ſpero ſanitatem tibi à Deo reſtituendam*. Quo peracto, nulla intercedente mora, ab eryſipilate & febri Anna liberata eſt.

Feli-

Digitized by Google

Feliciſsimum Tereſiæ obitum hæc maximè comitata ſunt. In eius, vbi defuncta eſt, cœnobij tecto, & ipſiuſmet decumbentis cella apparuit cœleſtium luminum multitudo.

Vna ex religioſis circumſtantibus Chriſtum Dominum eximiè refulgentem, & longo Angelorum ordine ſtipatum, lecto Virginis adſtantem vidit.

Alia candidatorum agmen cellam ingreſſum, & lecto pariter circumfuſum aſpexit.

Alia è Virginis ore columbam euolantem.

Alia lucem Chriſtallinam feneſtra pertranſeuntem contuita eſt. Quo etiam tempore prope Tereſiæ cellam arbor, quæ antea arida diù permanſerat, ſubito flores emiſit.

Monialis quædam diuturno capitis, & oculorũ morbo vexata, ſacro corpori appropinquans, eiuſque manus capiti oculiſque proprijs admouens, repentè incolumis facta eſt.

Altera odoratum per quadrimeſtre amiſſum deoſculatis defunctæ pedibus, illico læta recuperauit, & cæleſtis odoris particeps fieri, Beatæ imploratione, meruit.

Accedunt inſuper egregiæ defuncti corporis prærogatiuæ. Remanſit Virginis facies pulcherrima, candida, & cute tenſa, cùm iam illam ſenectus

Digitized by Google

nectus contraxiſſet. Membra omnia flexibilia, & tractabilia; & quedam odorem mirificum alijs odoribus abſimilem, non corpus modò, ſed veſtes etiam, & panniculi quibus ægra vteba tur, vehementiſſimè exhalabant. Idem corpus poſt multa annorum curricula pluries exhumatum, ſemper triplici miraculo claruit: ſemper enim incorruptum, ſuauiſſimique odoris fragrantiam ac cœleſtem liquorem effundere conſpectum eſt, hodieque conſpicitur.

Pergo ad alia miracula obitum Tereſiæ conſequuta: quæ cùm plurima ſint, nonnullis breuiter enarratis, dicendi finem facio.

Franciſcus puer quadriennis, filius mulieris Abulenſis, toto corpore à natiuitate contortus ac miſerabiliter deformatus, poſt peractam in cella huius Beatæ Nouenam, perfectè ſanus diſceſsit.

Franciſcus etiam Perez, Rector eccleſiæ ſancti Petri Turris de Lobaton, Valliſoletanæ diœc. apoſtemate ad os pectoris & brachij contractione iam quintum menſem à ſacrorum celebratione præpeditus, cùm medicamenta non proficerēt, epiſtolam manu huius preclaræ Virginis exaratam apoſtemati religioſè applicans, liberatus eſt. Qui cùm grati animi cauſa Albam

profe-

Digitized by Google

profectus ſepulchrum ipſius viſitaſſet, eiuſdemque brachium (quod ſeparatum à corpore ſumma reuerentia illic aſſeruatur) proprio brachio ſic contracto applicuiſſet, ex illa quoque contractione cōualuit: vnde poſtridie eius diei Miſſam ibidem celebrauit.

Ioannes de Leyua, qui lethali angina fere iam præfocatus interibat, perquiſito huius Beatæ ſudario, & collo circumligato, ſomno correptus, & breui poſt expergefactus, cognouit ſe Tereſiæ meritis incolumitate donatum.

Anna à S. Michaele monialis, triplici cancro in pectore per biennium exulcerata ſæuiſſimis doloribus cruciata, collo brachijſque contracta, corde etiam afflictata; carnis Tereſiæ particula adhibita, ipſaque Tereſia implorata, nulla interpoſita mora cancris, cæteriſque morbis liberata eſt.

Antonius à Villaroel, puer quinquennis, lethargo mortifero correptus, grauique exæſtuans febri, cùm à medicis derelictus eſſet, applicato capiti linteo, & quibuſdam eius liquoris ſtillis, qui ex Tereſiæ corpore promanat, conſperſo; à lethargo febrique liber euaſit.

Anna Gonzalez cùm ex infirmitate manu ſiniſtra contracta eſſet adeo, vt nec digitos poſſet

ſet explicare; ad monaſterium, in quo Tereſiæ corpus & brachium ab ipſo diuiſum aſſeruatur, proceſſit: ibique ipſius Virginis brachij contactu integræ ſanitati ſtatim reſtituta eſt.

Haec ſunt, Beatiſſime Pater, quę ad Tereſiæ vitam & miracula leuiter adumbranda ſatis eſſe exiſtimaui. Reliquum eſt, vt Sāctitas Veſtra, publico Chriſtianæ Reipublicæ gaudio & exemplo, Virginem hanc tam inſigni ſanctitate conſpicuam Sanctorum catalogo adſcribat, & vniuerſali eccleſię venerandā proponat ac decernat.

Hoc à felicis recordationis Clemēte Octauo, & Paulo Quinto, Sanctitatis Veſtræ Predeceſſoribus poſtulauit Claræ memoriæ Philippus Tertius, hodieque à Sanctitate Veſtra poſtulat Philippus Quartus, Hiſpaniarum Reges verè Catholici. Hoc nouiſſime Cæſarea Ferdinandi Secundi maieſtas. Hoc Ludouicus Decimustertius Galliarum Rex Chriſtianiſſimus. Hoc Sigiſmundus Poloniæ Rex Potentiſſimus. Hoc complures Chriſtiani orbis Principes. Hoc totus Carmelitarum Diſcalceatorū Ordo. Hoc Hiſpania tota. Hoc omnes boni, votis omnibus efflagitant; eamque Sāctitatis Veſtræ, atque huic ſanctæ Sedi tanti beneficij memoriam, quam nulla vnquam vetuſtas obruat, pollicentur.

RE-

RESPONSIO IOANNIS CIAMPOLI

Secretarij Apoſtolici domeſtici

SANCTISSIMI D. N.

GREGORII PAPAE XV.

SPECTACVLVM Deo gratiſſimum, atque hominibus admirandum, præbuit Hiſpanæ Virginis fortitudo in ipſo vitæ ſemper militantis tyrocinio, omnium Imperatorum laudes ſupergreſſa. Atque in id mentis oculos libentiſſimè conuertit S. D. N. Qua ætate vel ipſas materni cubiculi tenebras plerique formidamus, puella ſeptennis iam micans ſplendoribus Sanctorum, à parentum complexu diuellitur, monſtrorum feracem Africam petitura, deducente pietate, ac periculis inuitantibus, vbi ferox amore martyrij Tyrãnorum ſæuitiam prouoca-

uocaret; clamitans plaudente cælo, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an periculum, an gladius?* Compendiarium illa quidem iter inſtiterat, vt violenta raperet Regnum Dei: verùm opportunis id ſepſit impedimentis miſericordiarum Pater; quò tanta virtus orbi profutura, per longiores diuinorum mandatorum ac conſiliorum ſemitas ad æternitatis palmam properaret.

Id autem ita cumulate præſtitit, vt non ijſdem quibus vitam finibus opera ſuæ pietatis cõcluſerit. Viuit adhuc Tereſiæ ſanctimonia in religioſis Virginibus, ac viris Carmelitanis, quos volũtarijs ſupplicijs edocuit vires corporis, ideſt arma vitiorum, continenter expugnare: & modò Principes iuuat ſapientium magiſtra, modò diuini eloquij voce tonans, & gladio ſalutis armata in aciem prodit de impiorum ſententijs triumphatura.

In his cæteriſque laubibus non præſenti ſolum oratione, ſed totius Chriſtianæ Reipublicæ plauſu celebratis, in Principum, populorumque, ac præſertim Philippi IV. Catholici Regis precibus, triumphalia ſanctitatis ornamenta Beatæ Tereſiæ poſtulantium, diuinæ clementiæ magnitudinem agnoſcit S. D. N. atque admira-

mirabilem Hiſpaniæ gloriam, Sanctos non minus religioſe venerantis, quàm feliciter progignentis. Sed tanta in deliberatione cælum ieiunijs, precibus atque eleemoſynis petendum eſt: vt per hos bene hærentes ſcalarum gradus in tertij cæli altitudinem Pontificiæ mentis pietas aſcendat, mortalibus renuntiatura quæ ſpontè non licet homini loqui. Proinde rogat omnes Sãctitas Sua, vt his pietatis officijs ſecum Patrem luminum imploretis. Ipſe autem venerabiles fratres ſuos S.R.E. Cardinales, tum Patriarchas, Archiepiſcopos, atque Epiſcopos in conſilium abhibebit, vt in cæleſtibus honoribus decernendis Diuinitatis iuſſa capeſſat, & Catholicæ Eccleſiæ laudibus inſeruiat.

In hanc ſententiam reſpondere me iuſsit Sanctiſſimus Dominus Noſter.

Digitized by Google

Digitized by Google